



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

200. De resuscitatione mortuorum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

quin & novum rumpit, & veteri non con-
venit commissura à novo. *Luc. 5. Vers. 36.*
Tollit enim plenitudinem eius à vestimen-
to, & pejor scissura fit. *Matth. 9. & 16.* Ne-
mo assumentum panni rudis assuit vesti-
mento veteri: alioquin aufert supplemen-
tum novum à veteri, & major scissura fit.
Marc. 2. & 21.

I I. Et nemo mittit vinum novum in
utres veteres: alioquin rumpet vinum no-
vum utres, & ipsum effunderur, & utres
peribunt. *Luc. 5. & 37. Marc. 2. & 22. Matth.*
9. & 17. Sed vinum novum in utres novos
mitti debet: *Marc. 2. & 22. Luc. 5. & 38.*
Matth. 9. & 17. & utraque conservantur.
Luc. 5. & 38. Matth. 9. & 17.

III. Et nemo bibens vetus, statim vult
novum, dicit enim: Vetus melius est. *Luc.*
5. Vers. 39.

MEDITATIO CC.

Didagma VI. De resurrectione mortuorum.

I. **A** Men, amen dico vobis, quia qui ver-
bum meum audit, & credit ei, qui mi-
sit me, habet vitam æternam, & in iudicium
non venit, sed transijt à morte in vitam.
Amen,

Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso; & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. *Ioan. 5. v. 24. 25. 26. 27.*

II. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. *Ioan. 5. v. 28. & 29.*

III. Non possum ego à meipso facere quidquam. Sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. *Ioan. 5. v. 30.*

MEDITATIO CCI.

Didagma VII. Tria testimonia divinitatis Christi: ac primum à Ioanne.

I. **S**I ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me. *Ioan. 5. v. 31. & 32.*

II. Vos